

Calycem saltem esse bractæas floris & Corollam descriptam Calycem forte quis dicat; at sedulo idem videmus in Gomphrena & Celosia, in quibus, Florum exteriora foliola tria Calycis nomine indigitantur, quamvis spatio ab interioribus remota sint.

77. CHRYSOPHYLLUM. Barbasco.

Frutex humanæ circ. altitudinis, Ramis erectis, subdichotomis.

Folia verticillata: verticillis paulo inæqualibus, lanceolato-cruciformia, sessilia, enervia, firma.

Flores in panicula terminali rara laxa; albi.

CAL. Perianthium monophyllum, breve, quinque-dentatum; *denticulis* obtusis.

COR. monopetala, subcampanulata. *Tubus* obovatus, ventricosus. *Limbus* decemfidus: laciniis alternis interioribus patentissimis, majoribus, convexis, obtusis; alternis interioribus dimidio minoribus, subrotundis, erectis.

STAM. Filamenta quinque, plana, subulata, tubo corollæ inferius adnata, eoque paulo breviora. *Antherae* oblongæ, acuminatæ.

PIST. Germen ovatum, deflexum in *Stylum*, staminibus breviorum. *Stigma* capitatum, nigrum, coronæ instar supra quinquecrenulatum.

PER. { Fructum non vidi.
SEM. }

Hispanis Barbasco h. e. Verbasco, ita nominatum ob vim enecandi pilces.

Alium vidi fruticem, præcedente descripto omnino similem, sed statura minore & foliis apice mucrone pungentibus diversum, cujus flores a me nondum observati.

78. SIDEROXYLON. Pacurero.

Frutex albus, (interdum Arbor mediocris), varie ramosus: ramis lateralibus patentissimis, rectis, apice in spinam terminatis vel inermibus.

Folia